ut obtineat quantum ſibi placeat parentes a filiis honorari.
Infideles etiam honorant parentes edocti a lege naturali.
Unde infideli videtur eſſe deterior qui curam parentum non habet.
i. Thim. v. Siquis ſuorum et maxime domeſticorum etc. Valde ingratus videtur eſſe qui parentibus ſi poſſit non providet. Unde dicitur. Eccli.
Filii reddite vicem parentibus. Inde dicitur ciconie quod patrem et matrem depilatum filii eius querunt neceſſaria donec habeat pilos vel habeant quod moriantur. Iniuſtum eſt enim ut in ſenectute filios ſuos dinos ſibi inveniant.
Sed hoc iuſto iudicio dei multociens accidit. Unde refertur quod quidam ſenex hereditatem ſuam filio ſuo qui in primo benigne ſe erga patrem habuit dedit. ſed poſtea expulſo eo de thalamo quem ſibi et uxori habere voluit lectum fecit fieri poſt hoſtium. Et cum ſenex hyeme frigore gravaretur et filius abſtulisset ſibi bona cooperitoria. rogavit filium filii ut rogaret patrem ut ſibi aliquid daret ad tegendum.
Puer autem vix optinuit a patre duas ulnas bureli ad opus avi ſui. Et cum alie due remanerent rogavit puer flendo patrem

ut ſibi d[illegible] fletibus eius motus dedit. querens quid inde faceret. qui reſpondit. ſervabo eas quouſque ſis talis qualis eſt pater tuus. Iſtud tibi amplius dabo quam tu non vis patri tuo modo dare. Item poſſunt ſuſcitari per verba ſcripture que huc ſuadent et que indicant quantum hoc placeat deo. et quantum contrarium diſpliceat. et quam utile ſit homini et eius contrarium inutile. Ad que pertineant que leguntur Eccli. iii. Ubi ſuper illud maledictio patris matris eradicat fundamenta dicit glo. Cham nuditatem patris ſui irriſit. et ſemen ſuum perpetua ſervituti dampnavit. Abſalon david de regno expulit. et concubinas [illegible]. Sed morte condignas penas luit. Helisei calvicium pueri bethel irriſerunt et duo urſi xl ex eis laceraverunt. Primum beatus Gen. ix. Secundum ii Re. xviii. Tercium iiii. Re. ii. De hoc habemus prov. xix. Qui affligit patrem. et xxviii. Qui ſubtrahit aliquid a patre. Et Eccli. vii. Honora patrem tuum etc. Exo. xxi. Qui patrem percuſſerit. Levi. xx. et Deut. xxvii. Maledictus

P.A.D.